Quodlibetaria Quaestio agitanda In Scholis Medicorum die 27ª novembris.

M. Nicolao Jacquarto Moderatore.

Suntne facultatibus Actiones, et Spiritus numero pares?

Corporis atq; animi communionem integram servant tres oio facultates naa, sedibus, functionibus inter se plurimum differentes, quarum tanta est societas, tantaq; conspiratio, ut una pereunte reliquas superstites esse minime possint. Ipsius naalis quae nobis cum plantis, atque etiam metallicis corporibus communis est, minus continua videtur esse necessitas: cuius tamen cessationem ab officio diuturniorem molestè ferunt cum omnes corporis partes, tum maxime reliquae duae germanae facultates, flos vitalis facultatis extinguitur: proxime sequitur tabes: pulsus languidi, parvi.

Animalis omni animantium generi maxime necessaria: cuius splendore destitutae partes corporis stupent: totum vero corpus praeceps ruit et in interitum. Vitali in ipsa foetus conformatione, naali succedens partibus singulis formam integritatemque, ad sensus et motus ~~tum~~ vim suscipiendam confert, duarumque exterarum quasi vinculum quoddam firmissimum merito dici potest: qua laborante detrimentum quoq; ambae capiunt.

Singulas facultates distributis inter se officiis suas sedulò partes agunt, naturali simul, atq; utero semen conclusum est, et conceptum vim generatrici foetus incumbit nutriendo et augendo, quarum facultatum haec in foetu iam in lucem edito, donec ad iustam partium magnitudinem sit consequuta principatum tenet, illa subinde ad extremum usq; dum nutritionis curam gerit. Vitali pulsus debetur, cuius commoda sentit totius corporis habitus, non respirationis, hinc facultatis ipsius robur, instrumenti naa, ipsa quoq; necessitas innuitur. Animalis sensum et motum impertit corpori.

His igitur actionibus, et facultatibus conservandis, imprimis intentus esse debet, quisquis vitam retinendo studet corporis ergastulo. Tuebitur autem partibus solidis prospiciendo, ne morborum diuturnitate vel atrophia extenuentur, aut suam naalem temperiem in deteriorem aliquam simplicem vel compositam commutent, diligenti quoq; spirituum habita ratione, ne succis vitiosis, maligna aeris constitutione venenatorum animalium morsibus inquinentur.

Partes oes corporis calido innato, quo plurimum abundant, pueri, instructae, suas particulares obeunt functiones, sed quas constantes, et perpetuas esse non possint, nisi principum facultatum quasi lumine reddantur, in quam rem spiritus oio fuit et esse, quorum singulas facultates pro sua dignitate nactas sunt: naalis enim infima crassiorem minusq; defecatum extremiore sanguinis portione obtinet, qui per venas nutriendi vim partibus communicat. Vitalis tenuior puriorq; spiritus adest qui per arterias corporis calorem exsuscitat, animalis planè aethereus momento hinc, et illinc diffundens sentiendi vim atq; movendi defert.

Sunt Igitur facultatibus actiones et spus numero pares.

Deffendebat Lutetiae M. Petrus Laffilaeus Parisiensis. Anno. M. D. L.